

1207.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
INSOMNIIS

QVAM
ANNVENTE DEO
AVTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS AC GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN INCLYTA ACADEMIA IVLIA

PRAESIDE

D. PETRO GERIKE

CHYMIAE THEORIAE ET MATERIAE MEDICAE
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO SOCIETATIS
REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS
MEMBRO FACVLTATIS MEDICAE NVNC
DECANO SPECTATISSIMO

PATRONO PRAECEPTORE COGNATO AC
PROMOTORE SVO
AETERNA PIETATE COLENDO

PRO DOCTORIS GRADV
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS INSIGNIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS MORE MAIORVM
RITE CAPESSENDIS

DIE XXVIII. DECEMBR. A. R. S. MDCCXLII
IN AVDITORIO MAIORI

HORIS MATVTINIS ET POMERIDIANIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBMITTIT

CAROLVS FRIDERICVS VDEN
OSTERBVRGENSIS PALAEO-MARCHIVS.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

Physiol.

316,4

Handwritten signature

*Insomnia
Somnus V*

Physiol. 316,4

J. G. M. N. I. S.

F. K. E.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

133.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE INSOMNIIS.

QVISQVIS DE HIS, QVÆ IN SOMNIS OBVENIUNT, RECTE CONIECTAT, IS MAGNAM HABERE VIM AD OMNIA, IPSA REPERIET. HIPPOCRATES de insomniis ab initio.

PRÆFATIO.



Non heri demum aut nudius tertius insomnia attentio- nem hominum meruerunt. Docent historiae omnes, antiquissimis iam tempori- bus & omni deinceps aeta- te de illis sollicitos eos fuisse. Ab initio qui- dem maxime quaesitum est, quid insomnia
A 2 signi-

significant. Ita legimus in historiis sacris, Jacobum Patriarcham filii sui, Josephi, somnium esse interpretatum. (*) Mox cum hoc in Ægypto collegia jam integra reperimus hominum, quorum professio erat, somniorum explicationes dare. (**). Secutis temporibus apud Babylonios in Nabuchodonosorum aula præcipue Chaldaeos, (***) & apud Persas Magos de insomniorum significatione sæpius quæsitos esse & responsa dedisse constat. Ut paucis dicam, non reperitur gens ulla, quæ insomniis non tribuerit plurimum; adeo, ut ad illorum formam sæpe maximi momenti negotia, tum publice, tum privatim peragenda decreverint. Serius, ut in omnibus fere aliis negotiis, de insomniorum causis inquisitum est; a multis, ut fieri solet, curiositatis gratia; a quibusdam, ut melius intelligerent, an, & quam illa significationem; haberent. Sine dubio enim causæ cognitio optimam rei cujusque suppeditat explicationem; si quidem illa vera fuerit eruta. Sed nondum matura erat Aristotelis, qui multa de iis disputavit, vel omnis prior ætas, ut veras multas somniorum investigare causas liceret; & præjudicia plurima alia veteres Philosophos ac Medicos a recta via ad devia in hac
inqui-

(*) Genes. XXXVII. (*) Genes. XL. (***) Vid. DANIELIS liber,

inquisitione deflexerunt. Quod ad significationem somniorum attinet, Ægyptios, Chaldaeos & Magos multa experientia & plurimorum deinceps annorum observationibus, sæpe etiam acumine ingenii id assecutos esse, ut non vane de illis semper statuerent: non dubito, & historicæ partim confirmant. Debet etiam, si narrationibus quibusdam antiquis fidem adhibendam putamus, Medicina initiorum suorum partem insomniis: ceu quæ, in templis Isis & Æsculapii præsertim ægros decumbentes, docuerint remedia, adversus cuiusque morbum in auxilium trahenda. Sed devenit ea somniorum interpretandorum, quemadmodum omnis ex astrorum positu, meteoris, vel undecunque futurorum explicatio, & aliæ sæpe disciplinæ ad circulatores, aniculas, & quam hodie fæcem residuam Ægyptiorum multi esse credunt. Quare hodie hypnocritice contemptui fere habetur, & id quidem plurimo merito suo; quando manus prodit, quæ eam formarunt & exornarunt. Visa tamen mihi illa res est, quæ novam attentionem & curam mereatur; quæque si debita ratione tractetur, varias utilitates habere queat. In humano certe corpore insomnia multa sæpe mutant, & magnas significationes habent:

bent: uti non ex allegatis modo in fronte hujus dissertationis verbis Hippocratis, sed attentis etiam observationibus cognosci potest. Cum ergo Medici sit & intersit, mutationes humani corporis probe observare, in earum causas inquirere, iisque & significationibus omnibus ad illius tutelam & morborum curationes recte uti: rem a Medicinæ scopo minime alienam facturum me credidi, si speciminis inauguralis materiam insomnia sumerem. Existimavi, multa de iis utilia adhuc dici posse, nondum dicta: etsi in tali specimine nemo forte omnia nova quæsierit; aut, nisi prorsus novitius, vel statim admirabundus ad legendum accesserit, unquam invenerit: vel data opera scriptor nova magis, quam vera, narrare studuerit. Inveniet præterea lector recti amans, paucis plagulis rem omnem integre absolvi non posse: sæpe etiam paucis verbis quædam indicanda esse. Hoc ipse judicavi, antequam de insomniorum explicationibus difficilioribus non vulgi more statuere velimus, in eorum naturam prius ex veris fundamentis inquirendum; & illa prius stabilienda esse, unde paulatim difficiliora erui queant. Quod præsentis labore pro virium ratione efficere nunc aggrediar.

§. I.

Vigilia perfecta in sano homine is status est, in quo sensuum internorum & externorum, ac motuum voluntariorum exercitium facile & liberum est, & cogitationes ordine procedunt. In genere definiiri potest per exercitium animalium functionum liberum, facile & ordinatum. *Vigilare* tamen adhuc homo dicitur, si quædam memoratorum ab initio hujus §. I. libera habet utcunque, & quippiam ordine cogitare valet. Libertatem autem hic non aliam intelligo, quam quæ in applicatione facultatum animæ & corporis possibili, & ex utriusque hujus natura & indole dependentium consistit. Notum enim vel levi experientia est, non quilibet homini in usu earum facultatum permitti. Est vero ea libertas in ægris longe minor, neque illa hi aliter uti queunt, quam status animæ & corporis præsens id permittit. Unde etiam tunc ordo & facilitas in earundem exercitio æstimari debent.

§. II.

Somnus est status hominis viventis, in quo illud exercitium prorsus cessare videtur; nec ullarum is cogitationum suarum sibi conscius est. Prorsus enim facultatum animalium omne exercitium in somno vel rarissime, vel numquam cessare, ex multis insomniis, & inde judicare licet, quod e somno expergefactis prioris diei acta mox in mentem redeunt.

§. III.

Insomnium vocatur is hominis status, in quo interni sensus & motus voluntarii sæpe præterea sine
ar-

arbitrio animæ & confuse exercentur; externi sensus vel prorsus non, vel debilissime afficiuntur; sensationes autem reliquæ valide sæpe urgent.

§. IV.

Animales functiones proprie exercentur in & a mente; seu sola anima hominis percipit & vult agenda multa per corpus. Coniuncti tamen cum illis semper sunt determinati motus spirituum animalium in cerebro, nervis, organis sensoriiis, & musculis.

§. V.

In somno non minus ac in vigilia spiritus animales continue per dictas (§. IV.) partes motu progressivo, nec unquam retrogrado feruntur. Quare ab hoc motu vigilia dependere præcipue nequit; sed ab alio dependet, quem (*) Præses huius dissertationis tremulum vocavit & evicit alibi.

§. VI.

Motus hic tremulus momento citius in motibus voluntariis a cerebro ad partes movendas; in perceptionibus a corpore excitatis ab hoc ad sensorium commune; in sensuum internorum exercitio per omnes cerebri anfractus, ubi spirituum quidem actione opus est, propagatur.

§. VII.

Requirit autem vigilia perfecta spiritus animales iusta copia & fat mobiles in medulla cerebri, nervis

(*) Diff. de sensibus præcipue externis singulari quædam exhibens. Cap. II.

vis & horum extremitatibus pulposis, vel membranaceis in organis sensoriiis, & qualitercunque sentientibus; imo, cum sine vitæ actionibus animales exerceri nequeant, in cerebello, spinali medulla & omnibus vitæ actioni inservientibus partibus; & communicationem motuum inter omnes illos spiritus liberum. Est præterea necesse, ut motus illorum spirituum tremulus alicubi in corpore fiat valide semper excitetur. In anima vero semper opus est attentione aliqua; quæ sub illis conditionibus facile excitatur, vel conservatur.

§. VIII.

Quo erga illa omnia melius se habent, eo perfectius homo vigilat; quo major in quibusdam eorundem defectus est, eo imperfectius: etsi fieri queat in posteriori casu interdum, ut quasdam animalium actionum validius exercent, e. g. in ardente febre & mania.

§. IX.

Ipsis vero actionibus a vigilante exerceri solitis, tum vitalibus, tum naturalibus, tum, quæ illi propriæ sunt, maxime animalibus, spiritus magis semper magisque consumuntur, & vis eorum debilitatur. Fluida corporis humani reliqua absumuntur, spissiora & acriora redduntur, & ex minutioribus vasculis exprimuntur. Solida vero omnia mutuo inter se & cum fluidis pertranseuntibus attritu ipsa deturuntur, nec debitum rursus sub continuatis iis motibus nutrimentum accipere possunt. Fiunt hæc omnia eo magis, quo diutius & validius actiones animales in vigilante exercentur.

B

§. X.

§. X.

Quare universum corpus tandem ineptum redditum actionibus animalibus continuandis; exercitium earum & reliquarum paulatim segnius procedit; somnolentus proinde fit homo & dormientis habitum sensim induit; & tandem omnes animales actiones cessant, seu in somnum is labitur. (§. II.)

§. XI.

Discimus ergo attenta observatione, somnum nobis ita obrepere: sensuum primo internorum vigor magis magisque minuitur; externi debilius afficiuntur; sensationes leviores fiunt; motus voluntarii segnius peraguntur, vel ab officio suo prorsus cessant; languor & sensus quasi ponderis per omnes artus sese diffundunt; fiunt hi flaccidi; & tandem omnes animales actiones desinunt; ac quidem ad extremum, qui primi torpere cœperant, sensus interni. Eo enim momento somnus incipit, quo cogitationum suarum omnium sibi conscius esse homo desinit. Vitales vero actiones, & naturales, quatenus naturales sunt, nec a mentis arbitrio mutantur, interim & in ipso somno continuantur.

§. XII.

Cessat ergo in somno motus omnis tremulus spirituum animalium, (§. IV.) vel ita languide exercetur, ut quieti is status illorum proximus sit; nec sensorium commune motu eo notabiliter afficiatur.

§. XIII.

§. XIII.

Motus ille tremulus, dum homo vigilat, in organis quidem sensoriis excitatur ab objectis externis: quando hæc, ut luminis, vel sonori aëris radii papillas nerveas vel membranas impellunt. In somno autem non minus ac in vigilia organa saltim auditus, olfactus & tactus objectorum actioni patent. Vnde colligendum est, spiritus animales vel ea copia in somno non adesse, ut motus tremulus sat fortis in illis fieri & ad sensorium commune ferri queat; vel eosdem nimis inertes redditos motui ei suscipiendo & continuando non amplius pares esse; vel utrumque statui debere. Monuimus vero jam, (§. IX.) vigilantium actionibus spiritus utraque illa ratione mutari; vel potius posterior mutatio ex ipso somno, & modo, quo venit, (§. XI.) haud vane arguitur. Patet autem jam quoque ex ipsa motus progressivi ratione, hinc somni & vigiliæ rationem neutiquam præcipue dependere.

§. XIV.

Confirmat hanc ætiologiam, quod somnus, ubi vires corporis adhuc vigent, seu ubi spirituum copia adhuc adest, nec dum usu multo ii debilitati satis sunt, somnus admodum difficulter capitur. Non enim facile est, in eo statu spiritus ab objectis externis non commoveri, vel tremulum motum in vigilia subinde excitatum, mox fisci: nisi illa omnia removeantur, quæ eum motum excitandi vim aliquam habent notabilem; & insuper tranquilla omnia in mente sint. Quare observamus, somni tunc ad-

minicula magna, alias aliqua saltim esse umbram, noctem, quieta omnia circum, corporis quietem, animi affectus sedatos, cogitationes de rebus valde notis, vel ad objectum idem semper directas.

§. XV.

Sensationem vocamus facultatem percipiendi corporis nostri varias mutatas conditiones. Quales sunt fame & sitis. Habent hæ singulares sibi destinatas partes, ubi excitantur. Pleræque aliæ ubique fere in corpore, per tamen nervos fiunt: uti pruritus, dolor, perceptio caloris & frigoris. (*)

§. XVI.

Sensationes itidem fieri motu tremulo spirituum animalium, eodem modo evincitur, quemadmodum de sensibus externis id ostendi. (§. V.) Adsunt vero in somno semper res quædam sollicitandis sensationibus aptæ, neque tamen hæ tunc producuntur. Non enim frigus, non famem, non sitim in somno percipimus. Impediunt enim & hic animalium spirituum defectus & inertia, ne motus tremulus notabilis in nervis ab illis rebus excitetur.

§. XVII.

Mentem hominis ipsam, quæ simplex substantia est, ut corporis machinam, actionibus suis infirmari & tandem iis continuandis ineptam reddi, prorsus non cre-

(*) Sensationes ab externis sensibus distinctas & distinguendas esse, evidentissime docuit Præf. antea allegata dissertatione Cap. III. præcipue §. 27. 28. 46. sqq.

credibile videtur. Dum vero corpori unita est suo, pro hujus statu agere observatur. Cessante ergo motu spirituum tremulo in cerebro & nervis, vel, quod verius esse existimo, ad statum quieti proximum redacto, nullas interim in somno notabiles mens cogitationes agitat; nil decernit, quod per debilitatos antea spiritus animales perfici nequeat. Nullus ergo in somno tremulus motus in cerebro ab iis excitatus voluntariis motibus peragendis vim suppeditat. Quare harum tunc intermissio est.

§. XVIII.

Allegavi hactenus somni causam præcipuam & fundamentalem. Sequi vero inde postea varias adhuc alias mutationes in corpore humano, quæ augere semel cœptum, vel capiendum maturare somnum queant: e corporis humani indole facile intelligo. Sed mihi destinatum nunc non est, rem hanc expresse tractare, vel plura hic ponere, quam quæ ad dicendorum adhuc intelligentiam facere possint.

§. XIX.

Constat quotidianis observationibus, cordis & arteriarum motus ac respirationem, & in genere omnes vitales actiones a sensibus internis & externis, a sensationibus, ab animi affectibus & motibus voluntariis continuo mutari. Quare mirum non est, quod itidem observationes docent, motus partium, vitalibus actionibus destinatarum, in somno lentius & æquabilius procedere.

§. XX.

Actionibus vitalibus sæpe repetitis præparantur subtilissima illa fluida, quibus motus omnes in corpore perficiuntur; & quæ in nutrimentum solidorum impendi debent. Fit vero illa præparatio eo felicius, quo lentiores & æqualiores illæ actiones sunt, adeoque in somno. (§. XIX.) In eodem quoque sub motu æquabili id, quod e solidis detritum fuit, commodissime illis apponi potest. Intellegitur inde, quid boni somnus actionibus vitalibus præstet. Necessitatem eius ita evinco. Actionibus animalibus subservire debent vitales, cordis præcipue & arteriarum motus. Quo enim priores magis exercentur, eo plus spirituum a sanguine suppeditari debet; utque muscoli voluntarii moveri queant, arteriæ semper iis plurimum fluidi subtilis celeri motu subministrandum habent. Vt cor & arteriæ facere id possint, sufficientem semper copiam fluidorum, eademque debitis qualitatibus instructa, in promptu habere debent. Minuuntur autem & quantitas, & qualitas eorum fluidorum iisdem actionibus, quibus animales adjuvant, semper magis. (§. IX.) Quare cessatione harum aliquamdiu, hoc est, somno opus est; ne (§. II.) vitales quoque tandem desinant.

§. XXI.

In somno ergo copia spirituum animalium, vigilia consumptorum, reparatur, & vires illorum restaurantur. Fit inde, quod post evigilationem apti illi iterum sint animalibus actionibus novis obeundis.
Estque

Estque ea ratio, quare homo tandem rursus evigilet; seu sensus externi, vel sensationes a levi causa excitatæ attentum hominem faciant, ut sui actionumque suarum conscius sibi fiat.

§. XXII.

Animales spiritus secernuntur a sanguine incorticali cerebri substantia. Devehuntur hinc ad tubulos medullares innumeros, & subinde ad alios; in eum, ut probabile est, inter alios finem, ut antequam usibus destinatis inservire queant, multas in iis prius mutationes subeant. Est ad hanc rem absolvendam tempore sufficienti opus. Ex quo & dictis (§. XX. XXI.) intelligitur, quare solis alimentis absque somno, hocque ad sufficiens tempus protracto, ea spirituum animalium & virium reparatio fieri nequeat.

§. XXIII.

Tum animalibus, tum vitalibus actionibus, tum sibi ipsis peragendis materiam subministrant naturales vulgo dictæ; seu quæ assumpta sic mutant, ut indolem fluidorum in humano corpore necessariorum acquirant. Quo ergo priores illæ utræque magis exercentur, quod in vigilia contingit, eo fluida ea magis mutantur, & ab indole sua bona desciscunt; plusque eorum consumitur. Plus hinc novæ materiæ recte elaboratæ in illorum locum submitti debet. Ipsæ vero naturales actiones ut recte procedant, & alimenta omni concoctionum genere debite mutant, rursus spiritibus bonis & actionum vitalium auxilio indigent. Hæ vero vigilantium actionibus semper de-

bi-

biliores redduntur. (§. XX.) Quare hæc cessare aliquamdiu debent; ut vitales ordinatius peragantur, & defectus omnium necessarium humorum refarciatur; hoc est, somno opus est ad restaurandas etiam animales actiones. Accedit huic alia adhuc ratio, quod nimirum vigilantium actionibus spiritus & humores modo in cerebro nimis detinentur, ut in meditationibus, modo ad alias partes nimis urgentur; & ea utralibet ratione illis partibus, quæ naturales exercent, fluidorum necessariorum pars subtrahatur.

§. XXIV.

Turbant in his omnibus insomnia, seu actiones animales, quæ in somno contingunt, & inde nomen suum, græcum etiam, ἐνύπνιον habent. Præcedit enim illa semper particula saltim quædam somni. Quæ vero in vigilantibus aliquando exercentur animales actiones insomniis similes, dementia vocari solent. Non est tamen inusitatum, homines, qui vigilantes ceterum, multa inordinate loquuntur & agunt, somniantium nomine, die Träumenden/ appellare.

§. XXV.

De insomniis autem antequam plura dicam, monere debeo, de naturalibus mihi in omni hac dissertatione tantum sermonem esse. Dantur enim præterea divina; insuperque recensentur diabolica; & quæ ab aliis geniis, variæ formæ & conditionis hominibus immitti soleant. Quæ vero omnia, quatenus talia sunt, vel dicuntur, ad Medicinam, adeoque ad nostrum censum nil pertinent. Neque interest nunc, ad subtilem, quam alii faciunt, somniorum & insomniorum distinctionem attendere.

§. XXVI.

§. XXVI.

Naturalia ergo insomnia incipiunt vel in anima, vel in corpore. In anima incipere observantur post multas, profundas maxime & difficiles meditationes & curas, vel magnos animi affectus. Nam

*Quoi quisque fere studio devinctus adheret;
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati;
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens;
In somnis eadem plerumque videmus obire.*

uti LVCRETIVS scribit. Lib. IV. de rerum natura.

§. XXVII.

Spontaneum nihil esse apparet ac deprehenditur. Omne enim quod fit, propter quid fieri comperitur, atque etiam in singulis adeo propter quod fieri videtur. Spontaneum vero nullam essentiam habere comperitur, sed nudum tantum nomen. Ita HIPPOCRATES in libro de Arte §. IX. sentit. Nullum proinde etiam insomnium sponte sua oritur, sed rationem initium quodlibet eorum habet vel in anima, vel in corpore, vel in utroque simul.

§. XXVIII.

Docet similitudo vel connexio insomniorum in his casibus cum illis cogitationibus, quæ interdum, vel præsertim paulo ante somnum adhuc in anima fuerunt, observanda, continuari easdem cogitationes etiam in somno; etsi tunc nil clare repræsentetur, adeoque animadverti eæ præ obscuritate nequeant. Incipit ergo in his casibus insomnium, si qua illarum cogitationum clara, vel distincta fieri incipit.

C

§. XXIX.

§. XXIX.

Animam in somno vim suam repræsentandi etiam exferere, a priori demonstravit Illustr. WOLFFIUS. (*) Quod nunc a posteriori, seu ipsis somniis docui. Sed quæramus porro rationem, qua illa initium sumunt. Præcedit insomnia, de quibus jam loquor, exercitium facultatum mentis multum. (§. XXVI.) Non id cum somno statim prorsus desinit. Est enim nil spontaneum, nec oriens, nec occidens. Sunt vero singulæ repræsentationes mentis in somno debiles & vi æquales, ut nulla præ altera tunc observari queat. Nil ergo clare, multo minus distincte tunc percipitur. Constat porro attentis observationibus, vigilantibus sæpe accidere, ut sub mentis qualicunque quiete & ubi ad nullam rem magnopere illa attendit, subito oriatur in ea quippiam, eandem quasi excitans & seriei novæ cogitationum ansam præbens. Idem ergo in somno etiam accidere posse, non est, quod dubitemus. Quod vero dum fit, perceptio clara, & mens ejus sibi conscia fieri incipit. Est hoc somnii primum principium. Succedunt autem deinceps repræsentationes sibi invicem fere, quomodo in vigilantibus solent, si mens non magnopere ad eas attendit, & soli imaginationi locum concedit; ut nempe quælibet earum utcumque sibi olim connectam, & hinc aliam ex alia excitet.

§. XXX.

Videamus tamen etiam, quæ ratio hujus nec in corpore sit. Monui jam supra, (§. IV.) hujus de-
ter-

(*) In denen Vernünftigen Gedanken von Gott, der Welt u. S. 795.

terminato statui semper respondere mentis certum statum. In multis ergo, profundis & difficilibus cogitationibus spirituum tremulus motus in cerebro fortis, & passim ibi viget. Quod in animi affectibus magis adhuc fit; in quibus præterea alii humores, sanguis præsertim, & solidæ partes variæ valide commoventur. Vt ergo hi motus in somno sub qualicunque virium inertia utcunque sopiuntur: ita maris, vel fluminis, modo valde agitati & tranquilli rursus rediti ritu, a quacunque causa facile in novum motum aliqua illorum, præsertim spiritus rursus abripiuntur: ita, ut hi commoti in communi sensorio alicubi fortius agere incipiant, & eodem modo, quo in vigilia, repræsentationi satis perceptibili originem præbeant. Oritur ergo a pari actione eadem repræsentatio, seu idem anima percipit. Quod ergo somnii principium in corpore est, etsi ab anima præcipue derivandum.

§. XXXI.

Observantur proinde insomnia oriri & produci facilius, si quis e. g. viribus nondum satis fractis, vel animi affectu nondum composito multum, se somno dedit; vel forte, seu arte per sensuum organa, maxime auditus, excitati spiritus versus commune sensorium novo motu impelluntur.

§. XXXII.

Producuntur alias insomnia primum a rebus mere corporeis, in organa sensuum, vel sensationum vi sat valida agentibus. Vt enim minor illarum actio, sed quæ alias in vigilante corpore excita-

re sensum valet, tremulum motum sufficientem in spiritibus, vigilia prius inertionibus redditis & confopitis, ciere nequit: ita si fortior ea actio sit, magis, vel saltim utcunque spiritus tremere incipientes impressionem alicubi in sensorio communi faciunt, dum in anima representationem satis perceptibilem excitent; cui deinceps aliæ eodem modo succedunt, quemadmodum (§. XXIX.) dixi. Nisi illum ordinem perceptiones ab externis rebus continuatæ, vel novæ excitatæ interpellent ac turbent.

XXXIII.

Ita notum est observationibus, vocem, vel musicam satis vicinam, vel in genere satis fortem, nisi dormientem prorsus e somno excitet, somnium producere. Sermone interdum insomnia ad loquentis lubitum excitari queunt. Luminis radii per palpebras in oculum nimis copiose illapsi sæpe somnii causa sunt: si præsertim noctu non assuetis ad illud dormire, subito idem objiciatur. Porro docet experientia, illum a fame, siti, calore, frigore, dolore, pruritu, re acri, pungente, premente provocari; & in genere, sensationes insomniorum causas esse frequentissimas.

§. XXXIV.

Deprehenduntur ergo insomniorum causæ ubique in homine & extra illum. Ad priores refero animam non satis tranquillam; & quicquid ad humanum corpus pertinet, si idem non recte se habet & hinc cerebrum vel nervi nimis & inordinate com-

H.O.

moventur. Quare etiam somnia morbos multa præcedere solent, & sæpe annunciant, interdum etiam, ut postea videbimus, faciunt. Pertinet huc imprimis plethora, quæ somniis sæpe monet, partem sanguinis abundantem sectione vel aliter detrahendam esse. Facit enim ea pressiones, calorem, anxietates, capitis gravitatem; unde mira & interdum terribilia insomnia oriuntur.

§. XXXV.

Extra hominem ad somniorum causas referri debent omnes res non naturales a Medicis dictæ: vel quicquid in organa sensuum & sensationum agendi vim habet: Alimenta nimia copia, vel non facile digerenda, vel acria; Potulenta inebriantia, maxime non longe ante somnum ingesta; Medicamenta nimis commoventia; Aër nimis calidus, vel frigidus, vel commotus; Excernendorum copia retenta, vel excretio nimia, quæque molestum sensum relinquit, vel stimulus ad eam continuus a quacunque causa provocatus. Lectus insolitus, præsertim durior.

§. XXXVI.

Motus corporis nimius in inassuetis non una ratione somniis ansam præbet, præsertim vero dolore, vel saltim molesto sensu, quem in agitatibus vel concussis partibus excitat, & hinc aque nimis commotis humoribus congestionibus & stagnationibus variis ortis. Sub quiete nimia spiritus sæpe nimia copia generati, vel usu non satis debilitati motibus a qualicunque impressione novis suscipiendis apti manent;

ment: perspiratio minuitur, humores coacervantur, ac, si diuturnior illa fuerit, cruditates in corpore gignuntur; ampla materies insolitarum sensationum & hinc insomniorum. Vigiliæ, si exercitatæ eæ fuerint, ex actionum mentis & corporis vi adhibita, seu ex hujus motu æstimandæ sunt: fin quieti datæ, paulo ante de iis dictum est. In somno omnium animalium, quæ late patent, actionum intermissio adest, & hinc longe major quies. Quare si ultra modum justum ille protrahitur, multo magis ea fiunt, quæ a quiete fieri dixi. Cum vero præterea copia & vires spirituum in somno augeantur semper magis, hi novis ab illis rebus motibus promptius suscipiendis idonei existunt. Quæ nunc omnia uberius deducere, instituti nostri ratio non permittit.

§. XXXVII.

Videamus nunc, quos in corpore humano effectus insomnia producant. In somnio exercentur actiones animales, nunc plures, nunc pauciores, præter, externos sensus (§. III.) Convenit ergo is status multum cum vigilia. (§. I.) Turbant proinde somnia & vitales & naturales actiones in sua æquabilitate adeo necessaria, & eorum præparationem, quibus omnes actiones indigent, virium maxime; quarum præterea multa adhuc pars ipsis somniis consumitur. (§. XIX-XXIII.) Quare post hæc longa, multa, vel gravia corporis languor, ineptitudo ad negotia, cruditates, nutritionis defectus relinquuntur. Augent mala in cerebro humores ad illud somniis debilitatum ruentes, idemque inæqualiter prementes; ac inquietudines cum morositate produ-

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Est in primis animadvertendum etiam, quæ in perspiratione insensibili insomnia mutant. Favet illi somnus placidus adeo, ut 7. horis 50. unciaë cocti spirabilis in robustis sæpe exhalent: quod SANCTORIVS observavit, *Sect. IV. aph. I.* & duplo magis, quam in vigilante. *aph. II.* Inquietus vero somnus, seu insomnium trientem solitæ perspirationis impedire solet, *aph. V.* adeoque libram circiter. Augentur hic humores nimis in corpore, & perspirabile retentum acrius fit, & illos acriores reddit. Acrimonia vero perspirabilis retenti vel sæpissime petit caput, turbat somnum, & partium superiorum perspirationem divertit. *aph. X.* Plenitudo vero universum gravat corpus, motus omnes retardat & inæquales facit.

§. XXXIX.

Exercentur vero animales actiones in somnio confuse, hoc est, sine ordine; (§. III.) & quod itidem observationibus constat, motus voluntarii, si quidem illi accedant, laboriose & cum difficultate. Respondent actionibus animalibus ita exercitis, seu phantasiis confusis similes spirituum & sanguinis motus. (§. IV.) Hinc actionum omnium inæqualitas, secretionum in primis; & inde porro nova mala sequuntur. A laborioso vero movendi conatu vires magis dejiciuntur.

§. XL.

In somnio reliquis repræsentationibus accedunt frequenter animi affectus; qui eo fere intensiores sunt, quo reliquarum actionum & cogitationum major

(*) Vid. ejus liber de Medicina statica.

ior tranquillitas adest. Ex indole ergo animi affectuum diversa, aliunde noscenda, de talium insomniorum effectibus judicandum est. Id autem modo nunc observandum est, quod cum alias animi affectus motus magis insolitos & inordinatos in corpore cieant, quam alia cogitationes simplices: iisdem etiam majores in somniis produci, quam si hæc iis carent; insuperque a prima (§. hac) allegata causa augmentum eos capere.

§. XLI.

*Porro hominum mentes magnis quæ motibus edunt!
Reges expugnant, capiuntur, prælia miscent;
Tollunt clamores, quasi jugulentur ibidem:
Multi depugnant, gemitusque doloribus edunt;
Et quasi pantheræ morso, sævique leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.*

& quæ alia hujus generis recensentur a LUCRETIO in eodem libro. Est in his similibusque insomniis repræsentatio fortis terribilium objectorum, & multitudo vehementium affectuum animi, sibi subito succedentium cum continuo & valde intenso agendi conatu. Sunt cum eo statum conjuncti vehementissimi motus in cerebro, nervis, & ipsis vitalibus partibus: uti in exercitatisima vigilia. Destruuntur ergo vires, sed eo magis adhuc, quam in vigilantibus, quo in universo corpore impellentia fluida plus resistentiæ inveniunt, & dum semper movent, parum promovent; motus omnes reliqui valde inordinati sunt; sanguis modo huc, modo illuc magna vi ruit, & spiritus animales subtilissimos suos canales

nales

nales in medulla cerebri vehementer agitant. Præparatur ita materies multa gravium morborum, in capite in primis & in nervis brevi, aut aliquando subsequens; si præsertim infomnia talia sæpius redeant, vel hominem vigilantem adhuc terreant, vel aliter commoveant. Videtur vim eam experientia sua cognovisse AVSONIVS. Quare ea in exilium mittit sic indignabundus: (*)

*Ite per obliquos cæli mala somnia mundos,
Irrequieta vagi qua disflant nubila nimbi,
Lunares habitate polos. Quid nostra subitis
Limina, & angusti tenebroso cubilia tecti?*

§. XLII.

In morbis plerisque virium major defectus adest, in corpore, quam in sanitate. Cum ergo somnia virium reparationi officiant: patet, quare ea ægrotis multis, quam sanis, magis noceant.

§. XLIII.

In morbis actiones nunc pauciores, nunc plures inordinate peraguntur, & secretiones pleræque prave fiunt. Augentur ea vitia somniis; hinc etiam ipsi morbi.

§. XLIV.

Depascitur morbis corpus. Fit idem infomniis. Uterque status alimentorum novæ præparationi obstat, quibus perficienda nutritio est. Augent ergo infomnia in morbis corporis decrementum.

D

§. XLV.

(*) Vid. ejus Ephemeris circa finem.

§. XLV.

Non tamen existimandum est, nullam habere utilitatem insomnia, & semper malos post se relinquere effectus. Aliud enim vel ipsa experientia docet. Hactenus autem, & ubi diversum nil expresse moneo, respectum modo habeo ad sequelas eorum in humano corpore ratione vel sanitatis, vel morborum. Has ergo considerans, insomnia interdum, nec uno modo homini prodesse dico, ea præsertim quæ affectus excitant: etsi plurimum hi sæpe mali in somniantibus æque ac vigilantibus mali producant. Est enim non minus notum, Medicis maxime, quam vim alias in variis morbis tollendis affectus habeant, tum blandiores, tum etiam vehementiores. Quam eo magis & feliciter exserere in somniis queunt; cohibitis nempe tunc sensibus externis, & sæpe etiam actionibus voluntariorum musculorum cessantibus, nec alia ratione quippiam mutante vel turbante voluntate. Profunt vero ita præsertim ea insomnia, quæ animum repræsentatione gratorum oblectant moderatius, & sine vana, vel magna spe aliqua. Commoventur enim ea ratione spiritus in cerebro & per universum corpus adeo, ut, quod in vigilia in motu suo ab aliis actionibus impediti facere non poterant, malum alicubi hærens feliciter expediant. Conf. Cap. VIII. allegatæ supra dissertationis de sensibus, in primis §. 68. 69.

§. XLVI.

Vtque omnium rerum, quæ naturæ facultatibus sunt, utilitates quædam reperiuntur: ita somnia

que-

quoque in hunc generalem usum concessa hominibus esse, non frustra conjicio, ne in nimis longo & profundo somno semper vel diu a motu suo tremulo cessantes spiritus animales nimis tandem hebetes reddantur; interdum, ut in somno quoque animus cumque eo ipsum corpus reficiatur. Alias utilitates & quæ ad mentem solam inde referri queunt, nunc omitto.

§. XLVII.

Solitum est Medicis sanitatis & morborum causas & effectus inter præcipua utriusque status signa referre. Ad hoc exemplum poterimus ab insomniorum causis & effectibus signa de humani corporis statu præterito, præsentem & futuro desumere. Habent enim & somnia determinatas suas & sufficientes causas, ut alia omnia. Agunt in corpore humano determinata ratione, & certos effectus producant; unde porro alii fluunt non minus determinati. Indicavimus vero jam earum causarum & eorum effectuum plures & potiores.

§. XLVIII.

Vtque e præsentem corporis humani statu Medici de præterita & futura ejus conditione multa colligunt: ita idem fieri ex somniis potest.

§. XLIX.

Liquet ergo, ex insomniis, datisque eorum causis & primis effectibus, perspecta simul animi & corporis alicujus indole, una cum viribus earum rerum,

rum, quæ in utrumque agunt, multa signa de statu corporis præfente, præterito & futuro deduci posse.

§. L.

Si quis putet, addendum esse, de universo hominis statu, nil habeo, quod contra dicam. Neque etiam arbitror, interpretes somniorum illos olim in Ægypto & Babylonia prorsus vanos fuisse homines; & primos Pharaoni, alteros Nabuchodonosoribus pro acceptis alimentis & honoribus nil nisi mera verba dedisse. Nec nulla proinde eorum fuit in illis rebus peritia, quod in divinis insomniis & supra ipsorum sphæram immensum remotis nil viderunt. Docent etiam nos historiæ, utrosque, ut aliis suis sacris, & disciplinis, ita huic quoque multa superstitiosa, commenta, nugas & fraudes magnas addidisse. Sed sufficiat ea, hæc data occasione paucis attigisse. Neque enim id ago, ut onirocriticem omnem hic commendem; aut rerum omnium ita sum ignarus, quin intelligam, ad commodam somniorum omnium explicationem requiri data multa, quæ pauci dare vellent, & nemo, cui cor sapiat, ab aliis postulare.

§. LI.

Non æquè multas, neque sæpe tam graves obstare causas video; quo minus ex insomniis de humani corporis statu iudicium ferre studeamus. Obstant tamen interdum fere similes: & magis obstare dicent alii huic negotio, quod nimis id arduum, nimis ambiguum sit; quod multa prius de anima, multa de corpore investigare, vel saltim disce-

re

re oporteat; quod natura incomprehensibilis & ratio sæpe fallax sit; & quæ sunt alia, quæ, ut vestigiis tritis & deprehendendis majorum potius insistatur, suadere queant. De quibus omnibus nunc aliis statuendum permitto: ipsos secuturus, si ratione, non sola dicacitate viam præiverint. Moveor tamen multum autoritate libelli de insomniis, ab initio citati, qui sive Hippocratis sit, ut videtur, sive alius auctoris, scriptus saltim circa illius ætatem, indicat, Medicos vel optimos, vel præstantes judicasse, tractationem de insomniis ad medicam praxin valde pertinere. Quare autor circa finem ejus diætæ partem regulas a se commendatas vocat, & ut inventum suum laudat. An vero illa omnia, quæ ibi ab experientia, ut videtur, maxime edoctus, de insomniis specialiora proponit, ita respondeant, nunc non inquiram. Quorundam certe veras dari rationes, & ex iis, quæ hætenus commemoravi, deduci posse, non dubito. Sed videamus adhuc potius, quid Medicus de insomniis in genere consultus suadere utiliter, & quomodo incommoda eorum a corpore maxime avertere queat.

§. LII.

Cum insomniam plerumque, multa in corpore, sæpe etiam in anima turbando, noceant: cogitandum nobis est de remediis, quibus illa a somnis arceret, vel saltim infrequentiora reddere liceat. Docere vero ea nobis causæ insomniorum queunt: unde nunc præcipua deducta hic proponam, experientia etiam confirmata. Ergo

D 3

1.) co-

1.) cogitationibus ante capiendum somnum modus statuatur, difficilibus praesertim; placentur, si quidem excitati fuerint, affectus immoderationes; utque

requies medicinaque publica curæ

Somnus ()*

vim suam hanc ex voto exferat, ratio, vel oblivio prius plurimum curarum temperet, vel in exilium mittat. Omnium vero minime brevi ante somnum admittantur eæ novæ res, quæ vel novas curas, sensus externos, internos, vel quoscunque affectus immoderatiores excitare valent.

2.) Quies interdiu non sit nimia, multo minus somnus multus; sed exerceantur mens & corpus debite; nec nisi post notabilem defatigationem corporis somnus capiatur.

3.) Sit tamen corporis labor non nimius, sed pro virium & consuetudinis ratione; nec ad somnum usque continuetur.

4.) Alimenta non ultra justam copiam, facile digerenda, & temperatæ indolis, praesertim in cœna sumantur. Quod de potulentis quoque statuendum est, qui fortior ægris praesertim non exhibeatur.

5.) Excernenda ante somnum e corpora ejiciantur.

6.) somnus deinceps capiatur in lecto, in quo perspirabilis materiæ exhalatio optime succedere potest, praecipue in assueto.

7.) Ca-

(*) Vid. OVIDIUS Lib. I. Epist. II. ex Ponto.

7.) Capiatur idem in loco, ubi externi sensus non multum, nec varie afficiuntur, & hinc etiam noctu; nisi prioribus nocturnis insomniis, vel aliter somno multum detractum fuerit.

8.) Removeantur ante somnum, quæ sensationes valde excitare valent, & in ipso somno absint: uti multus calor & frigus nimium hinc etiam

9.) in conclavi amplo, & qui aërem temperatum habet, somnus admittatur. Idem tunc, junioribus maxime, frigidiusculus commendandus est.

10.) Positus corporis inter dormiendum sit, sub quo neque externæ neque internæ partes quædam nimis, vel diutius premantur & promovenda in via non retineantur; non ergo in dorso, qui costarum elevationem & diaphragmatis descensum impedit, hinc pulmonum explicationi obstat, & sanguinem in hujus arteria, corde dextro, vena cava & cerebro detinet; sub primum somnum post cœnam non in sinistro latere; ne ventriculus ab assumtis & ab hepatis mole diutius prematur; utque promoveri illa in duodenum queant. Convenit vero deinceps, decubitus dextri lateris cum sinistro commutare, & priorem resumere; minime autem frequentius corpus jactare.

11.) Si sanguis in vasis abundans multus, vel gravibus somniis ansam suppeditet, detrahatur pars ejus; si nimis æstuans sit, temperantibus remediis; si nimis crassus diluentibus & attenuantibus corrigatur: si acrimonia, vel aliter adhuc peccet, remedia contra ea vitia a Medicis petantur.

§. LIII.

§. LIII.

Quæ omnia (I-II. §. præc.) in morbis quoque ad avertenda insomnia fieri debent; in quibus & præterea urgentia quædam incommoda ablationem vel mitigationem postulant: ut dolor, calor, sitis. Interdum etiam hyppnotica proprie sic dicta in morbis, vel etiam in sanitate contra insomnia in usum vocanda sunt. Qui vero usus cum plurimas caute- las habeat, nec nisi ex ratione agendi eorum reme- diorum in corpus humanum intelligi recte queat: alio loco & singulari cura exponi meretur.

Hæc ergo tum sanis, tum ægris, a somniis ni- mis vexatis facienda sunt: si quidem suæ spontis sunt, & alia id per- mittunt.

